

quia facient sibi pennis quasi aquila, & volabunt in caelum. Ne eriges mentem tuam ad perferenda divinitatis arcana, quae penetrare non potes: haec enim caelestibus solum civibus patent.

Ne comedas cum homine invidio, & ne desideres cibos ejus: Quoniam in similitudinem harioli & conjectoris aestimat quod ignorat. De scripturis cum haeretico non loquaris: qui invidet humanae salutis, & mallet decipere quam corrigi. Quoniam sicut hariolus & conjector somniorum aestimat quod ignorat: ita haeretico quae non intelligit in scripturis, prout libet interpretari praesumit.

Comede & bibe, dicit tibi, & mens ejus non est tecum. Securus, inquit, disce quae dico, & age quae doceo, cum in his quae docet, ipse fidem certam non habeat, sciens finitelle quae docet.

Cibos quos comederas evomes, & perdes pulchros sermones tuos. Sensus perverfos quos ab haereticis didiceras, necesse est ut vel per poenitentiam corrigendis deferas: vel post mortem pro his poenas luere cogaris, perdasque sermones confessionibus quibus eis praedicantibus humiliter favendum esse putaveras.

In auribus insipientium ne loquaris: quia despicient doctrinam eloquii tui. Huic simile est illud Evangelii: Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos. Sicut ergo supra admonuit ne haereticorum doctrinis auscultares: ita nunc cohortatur ne amore vanae gloriae seductus, immundis hominibus passim arcana veritatis ingeras.

Ne attingas parvulorum terminos, & agrum pupillarum ne introas. Propinquus enim eorum fortis est, & ipse iudicabit contra te causam illorum. Ingreddiatur ad doctrinam cor tuum, & aures tuae ad verba scientia. Noli subtrahere a puero disciplinam: si enim percusseris eum virga, non morietur. In virga percussus enim, & animam ejus de inferno liberabis. Fili mi, si sapiens fuerit animus tuus: gaudebit tecum cor meum, & exultabunt renes mei cum locuta fuerint reba labia tua. Propinquum parvulorum & pupillarum, Dominum appellat, qui cum esset in carne, pauperum magis quam divitum consors fieri dignatus est. Alioquin idem Dominus est omnium, dives in omnes qui invocant illum. Post sunt autem congruenter pupillarum ac parvulorum nomine illi designari, de quibus Dominus ait: Videte ne contemnatis unum ex his pusillis qui in me credunt. Hic enim vobis, quia angeli eorum in caelis semper vident faciem Patris mei qui in caelis est. Quorum agros & terminos qui attingerit: hoc est, qui conversationem eorum bonam inquinando laeserit, iudicium Domini non evadit.

Non emuletur cor tuum peccatores: sed in timore Domini esto tota die. Quia habebis spem in novissimo: & praesolatio tua non auferetur. Audi fili mi, & esto sapiens, & dirige in via animum tuum. Si tota die: id est, toto tempore quo in saeculi huius luce consistis, & peccatorum exempla vitaveris & Dominum timere cogeris: habebis spem beatae retributionis in novissimo: hoc est, cum ad vitae finem perveneris: ipso attestante qui ait: esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitae.

Noli esse in convivio potatorum: neque in comestationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt. Carnes ad vescendum conferre, est in colloquutione derogationis, vicissim proximum vitia dicere: de quorum poena mox subditur:

Quia vacantes potibus & dantes symbola consumuntur: & vestitur pannis dormitatio. Audi patrem tuum qui genuit te: & ne contemas cum sennerit mater tua. Veritatem eme: & noli vendere sapientiam, & doctrinam, & intelligentiam. Exultat gaudio pater iusti, & qui sapientem genuit letabitur in eo. Symboli Graecum nomen est, & interpretatur collatio. Est autem collatio sermonum, sicut in consiliis solet, est & pecuniarum five aliarum rerum, ut praesens locus docet. Potibus ergo vacat, qui de opprobrio alienae vitae se inebriat. Symbolum vero dare, est sicut unumquisque solet pro parte sua cibos ad vescendum, ita in confabulatione detractionis verba conferre. Sed vacantes potibus & dantes symbola, sicut scriptum est, consumuntur: quia omnis detractor eradicabitur. Vestitur autem pannis dormitatio: quia despectum & inopem a cunctis bonis operibus, mors sua inveniet, quem hic alienae vitae exquirendo crimina, detractionis suae languor praecoccupavit.

Gaudeat pater tuus & mater tua, & exultet quae genuit te.

Prebe fili mi cor tuum mihi: & oculi tui vias meas custodiant. Fovea enim profunda est meretrix, & puteus angustus aliena. Insidiatur in via quasi latro: & quos incautos invenerit, interficiet. Gaudeat Deus Pater de tua iustitia: gaudeat & Ecclesia Mater tua; sed & sacerdos qui te per gratiam baptismi regeneravit, qui te erudit a parvulo, de tuis bonis gratuletur operibus.

Cui va: cuius patri va: Quae disputando quibus hominum scelerebus maxima a Domino poena servetur. Et respondet ipse ratiocinando: quia his absque omni dubietate, qui per ebriositatem devolvuntur ad luxuriam: Cui, inquit, va: cuius patri va: Va: eternum meritum nominat. De quo Dominus: Va, inquit, homini illi per quem scandalum venit. Patrem autem cui va imminet: vel hominem dicit a quo exempla pravi operis foras quisque ut peccaret accepit: vel certe diabolum qui intus in corde virus pestiferum suggestionis infundit. De quo Iudaeus dictum est: Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.

Cui rixa, cui fovea. Rixae, quod concordiam servare & pacem nescit, quem ebrietas sensus impotem reddidit. Fovea quia passim in volutabro vitiorum omnino cadere non trepidat, qui inter bona malaque discernere quasi mentem capus ignorat. Illamque sapientem foveam ebriosus incidit de qua praefatum est: Fovea enim profunda est meretrix, & puteus angustus aliena.

Cui sine causa vulnera: Quia multa nimis potati, vulnera per tumorem in membris acceperunt, quae nulla ferri causa pertulerunt.

Cui suffuso oculorum? Quia immoderatus vini haustus, & caliginem visus corporalis, & caecitatem ingerit sensus interioris.

Nonne his qui morantur in vino, & student calicibus epotandis? Ne intucaris vinum quando stavescit, cum splenderit in vitro color ejus. Ingreddiatur blandè, sed in novissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus venena diffundet. Non vetat bibere vinum ad necessitatem, sed morari ultra tempus & utilitatem in vino, & evacuandis alterutrum certare calicibus. Juxta illud Isaia: Va: qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.

Oculi tui videbunt extraneas: & cor tuum loquetur perversa. Confectum & penè naturale est vitium post ebrietatis venena diffusa in corde, muliebrem sequi concupiscentiam: comitante pravitate ac turpitudine verborum.

Et eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clavo. In medio mari dormit, qui in huius mundi tentationibus positus, providere motus irruentium vitiorum quasi imminentes undarum cumulos negligit. Et quasi sopitus gubernator clavum amittit, quando mens ad regendam navem corporis, studium sollicitudinis perdit.

Et dices, verberaverunt me, sed non dolui: traxerunt me, & non sensi. Quando evigilabo & rursum vina reperiam? Vox percussit & dormientis exprimitur. Mens quippe a cura sollicitudinis dormiens verberatur & non dolet, quae sicut imminet mala non prospicit, sic nec quae perpetraverat agnoscit: Trahitur & nequaquam sentit: qui per illecebras vitiorum ducitur, nec tamen ad sui custodiam suscitatur. Qui quidem evigilare optat, ut vina rursum reperiat: quia quamvis somno stuporis a sui custodia premarur: vigilare tamen ad curas saeculi nititur, ut semper voluptatibus deebrietur. Et cum ad illud dormiat in quo solerter vigilare debuisset, illud appetit ad quod laudabiliter dormire potuisset.

Caput XXIV.

Ne emuleris viros malos, nec desideres esse cum eis. Quia rapinas meditatatur mens eorum: & fraudes labia eorum loquuntur. Sapientia aedificabitur domus: & prudentia roborabitur. Ne desideres eos imitari, quos cernis vitiis illis, de quibus commemoravi, implicari, sed potius sapientiae operam dare curato.

In doctrina replebuntur cellaria universa, substantia pretiosa & pulcherrima. Cellaria sunt corda iustorum, quae non nisi per doctrinam sapientiae, donariis virtutum replentur.

Vir sapiens fortis est, & vir doctus, robustus & validus: quia cum dispositione inicitur bellum & erit salus tibi multa consilia sunt. Non omnis qui fortis, etiam sapiens est. Omnis autem

autem sapiens & fortis esse dicendus est: quia & si corpore imbecillus est, si adit sapientia, omnia fortis adversarii, id est, diaboli certamina vincit.

Excelsa stulto sapientia: in porta non aperiet os suum. Non potest stultus ad sapientiam attingere, adeo alta est: quia in infimis jacet vitiatorum. Qui & si in praesenti se aliquid sapere putat, in porta tamen civitatis, id est, in exitu huius vitae, inveniet nihil fuisse quid sapuit.

Qui cogitat mala facere, stultus vocatur. Cogitatio stulti, peccatum est: & abominatio hominum detractor. Ne putares stultum aestimandum fuisse eum quem hebetem tardumque ingenio videres: palam ostendit: quia ille stultus sit vocandus, qui vel in cogitatione peccati suggestioni consentit, tametsi acer ingenio videtur existere: non autem ille qui hebes sensu apparet: Dei tamen imperiis quae discere potuit obtinere dispossit.

Si desperaveris lapsus in die angustiae, imminuetur fortitudo tua. Nihil execrabilius desperatione: quam qui habuerit, & generales huius vitae labores, & quod maxime nocet in fidei certamine, constantiam fortitudinis perdit.

Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses. Si dixeris, vires non suppetunt: qui inspektor est cordis, ipse intelligit: & servatorem animae tuae nihil fallit: reddetque homini iuxta opera sua. Postest mystice accipi: Erue eos qui ab haereticis decipiuntur, rectam fidem praedicando: libera bonorum operum exempla monstrando, eos qui a male viventibus Catholicis trahuntur ad interitum. Sed & si quos in certamine persecutionis lapsos vel lapsuros aspexeris, sollicita hos exhortatione ad vitam restaurare satage. Si quos fame perituros, si quos algore videris, illis dato victu & vestitu recrea.

Comede fili mi mel: quia bonum est: & favum dulcissimum gutturi tuo: sic & doctrina sapientiae animae tuae: quam cum inveneris, habebis in novissimo spem: & spes tua non peribit. Patet facillime quare doctrinam sapientiae meli comparet & favo: quia nimirum sicut illud cibus: ita haec doctrinis ceteris dulcedinem praestat. Sed hoc inter utriusque significatiam distat: quia mel quod in promptu est ad comedendum, moralem literae superficiem insinuat. Favus autem in quo mel de cera exprimitur, allegoricam locutionem figurat denunciat: ut subducto literae velamine, suavitas sensus spiritualis, aliquanto cum labore vel mora percipiatur.

Ne insidieris, & queras impietatem in domo iusti: neque vastes requiem ejus. Ne queras aliquam occasionem, qua deroges homini iusto. Ille enim si ceciderit, cito admovet pedem suum ut careat vitio: quod quidem non iteratur in facto: impii autem sic corruunt, ut ulterius non resurgant: sicut subsequenter addit dicens:

Septies enim cadit iustus & resurgit: impii autem corruunt in malum. Quomodo autem iustus appellatur: qui cadere, id est, peccare memoratur? nisi quia de levibus quotidianisque loquitur peccatis, sine quibus nec iustorum quisquam esse in hac vita potuit. Quia nimirum per ignorantiam, per oblivionem, per cogitationem, per sermonem, per subreptionem, per necessitatem, per fragilitatem carnis, singulis diebus, vel invitit, vel volentes frequenter reatum incurrimus: & tamen resurgit iustus, videlicet quia iustus est, nec iustitiae ejus praedicitur lapsus humanae fragilitatis. Unde bene cum de iusti casu loqueretur, non addit in malum. Quia & si malum est quod caduat, ne tamen malo in quo ceciderant, haerere possint, citius resurgendo procurant. Ad contra de reprobis: Impii autem, inquit, corruunt in malum. Quia videlicet impii cum ceciderint vel (quod est gravius) corruerint: ut scriptura dicit, id est, cum capitalia crimina perpetraverint: ita suo casu delectando assentiunt, ut ab hoc poenitendo relevari despiciant.

Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas: & in ruina ejus ne exultet cor tuum: ne forte videat Dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam. Ne contendas cum pessimis: ne amuleris impios, quoniam non habent futurorum spem mali: & lucerna impiorum extinguetur. Supra iusto insidias tendere vetuit: nunc autem ut perfectum tunc reddat in omnibus, etiam inimicis cum peccaverint, aut aliquid adversitatis incurserint, insultare prohibet. Ne forte si miserante Domino ad poenitentiam salutemque animae redierint, ac tecum amicitias fideles habere coeperint, tunc erubescas: quia illos aliquando depexeris, quos divina gratia ad vitam reservaverat. Sed

Tom. V.

quantum potes, jacentibus condole: eosque ut resurgere debeant, adjuva. Et si votum conatumque tuum sequitur effectus, gaudebis de sanato quem male habentem doleras. Sin alias, tuae tamen benevolentiae apud Dominum fructu non carebis. Vel certe ita dicendum est: Ne gaudeas de casu inimici: ne forte Dominus superbiam tuam, quae illi absque dubio displicet, hoc ordine dejiciens, humiliet: ut te cadente in peccatum, ille respiciens sanetur.

Tine Dominum fili mi & regem. Juxta quod Dominus ait: Reddite ergo quae sunt Caesaris, Caesari: & quae sunt Dei, Deo. Neque aliquid obstat in Domino, ut regem, patrem & filium intelligas designari, qui uno eodemque sunt divinitatis honore colendi. Qui enim non honorificat filium, non honorificat patrem qui misit illum.

Et cum detractoribus ne commiscearis. Illis videlicet qui dicentes se Deum patrem nosse, Filium Dei in carne apparentem noluerunt recipere.

Quoniam repente consurget perditio eorum: & ruinam utriusque quis novit. Utriusque dicit, & detractantis, & ejus qui illi favendo commixtus est: derogantium Christo principum, & decepti ab eis populi, & lacerantium fidem haereticarum, & auscultantium illis auditorum.

Hac quoque sapientibus. Subauditur, ignota sunt: quando reproborum quisque quam repentino interitu rapiatur a saeculo. Vel hac quoque sapientibus sunt observanda quae docui: ne detractoribus commisceantur: quia hoc specialiter vitio totum penè genus periclitatur humanum. Unde eadem vitio mederi volens beatus Pater Augustinus, hos in sua mensa fecit versiculos describi: Quisquis amat dictis absentium carere vitam: Hanc mensam indignam noverit esse sibi. Hunc versiculum antiqua editio manifestius dicit: Hac dico vobis sapientiam agnoscentibus. Quod sequentium sententiarum non incongrue potest esse principium.

Cognoscere personam in iudicio non est bonum. Qui dicunt impio, iustus es, maledicent eis populi, & detestabuntur eos tribus. Qui arguunt, laudabuntur, & super ipsos veniet benedictio. Supra regem timere docuit, & nunc personam in iudicio cognoscere vetat. Unde colligitur: quia ita principibus debitum obsequii temporis subiectos oportet impendere, ut nunquam reverentiae vel timoris eorum respectu a via veritatis exorbitent.

Labia deosculabitur, qui recta verba respondet. Osculum, pacis & amoris est signum. Qui ergo respondet recta, labia deosculabitur: quia quicumque neglecta acceptione personarum sola iustitiae verba sequitur, iste & insipientibus gravis forte videtur & alterius: multos tamen cum quibus pacem habet prudentes: multos qui sua dicta cum amore amplectantur inveniet. Saepè & illos quos adversantes suis rectis assertionibus toleraverat, conversos postmodum ad meliora amicos recipiet & socios.

Prepara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, & postea aedifices domum tuam. Quid est preparato opere agrum diligenter exercere, nisi evulsis iniquitatis sentibus, actionem nostram ad frugem retributionis excolere? Et quid est post agri exercitium ad aedificium domus redire, nisi quod plerumque ex bonis operibus discimus, quantum vitae munditiam & in cogitatione construamus? Ille quippe bonae mentis domum aedificat, qui primum agrum corporis a spinis vitiorum purgat: ne si desideriorum sentes in carnis agro proficiant, intus tota virtutum fabrica, fame boni crescent: destruat.

Ne sis testis frustra contra proximum tuum: nec laeseris quemquam labiis tuis. Ne dicas: quomodo fecit mihi, sic faciam ei: & reddam unicuique secundum opus suum. Haec ad exercitium agri nostri, id est, ad cultum bonae actionis pertinent: innocentem videlicet proximum falso testimonio non laedere: peccanti cuiuslibet fiduciam amplius peccandi adducendo non tribuere, & malum pro malo non reddere. Sic enim fit: ut cum primo actus exterius bene composueris, postmodum ad interioris quoque hominis excolendam munditiam pertingas: & quasi post exercitium agri & mentis, hoc habitaculum piis cogitationibus ornare, altiusque construere incipias. Quod quia reprobi facere dissimulant, rectè subditur:

Per agrum hominis pigri transivi, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleveram urtica: operuerunt superficies ejus spine, & maceria lapidum destructa erat. Quod cum vidissem, posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam.

Utsque piger dormies: usquequo de somno consurges? Pa-
rum inquam dormies: modicum dormitabis. Paucillum manus
conferes ut quiescas, & veniet tibi quasi cursor egestas tua:
& mendicatus quasi vir armatus. Per agrum, vineamque
pigeri ac stulti transire, est cujuslibet vitam negligentis inspi-
cere, quam urtica vel spinæ replent: quia in corde negligentium
prurientia terrena desideria, & punctiones pullulant vi-
torum: juxta quod scriptum est: In desiderii est omnis otio-
sus. Et maceria lapidum, in vinea vel agro stulti destructa
jacet: cum cepta virtutum munimina, vel improbitate homi-
num malorum deceptus: vel immundorum spirituum per-
suasione callida quique negligens perdit.

COMMENTARIORUM BEDÆ
Presbyteri in Parabolas Salomonis
Liber tertius.

Caput XXV.

Hæ quoque Parabola Salomonis, quas transfulerunt viri
Ezechie Regis Juda. Hinc novo ordine loqui incipit:
ut non sicut prius quali ad audientem verbum faciat, sed se-
cum ipse quid ratio veritatis habeat disputando pertractet:
in quibus tamen legens quilibet vel audiens quid appetere,
quid cavere debeat, aperitissimè dinoscat. Quas quidem Pa-
rabolas viri Ezechie transtulisse referuntur: quia fortassis ad
ejus usque tempora, dispersæ habebantur à pluribus: prout
ex ore sapientissimi regis semel dictas exceperant: sed per
industriam illius collectæ in unum: & in hujus libelli
sunt corpus insertæ. Notandum sanè: quia in his Para-
bolis multo sunt plura, quam in cæteris per allegoriam
dicta, ex collatione videlicet rerum, quæ figuris aptæ esse
viderentur.

*Gloria Dei est calare verbum, & gloria regum investi-
gare sermonem.* Gloria Domini est in carne apparentis huma-
nitas suæ infirmitatem, magis quam divinitatis æternitatem
mortalium oculis ostendere: & se potius operum miraculis
ac mysticis locutionibus, quam apertis assertionibus ver-
bum, id est, Dei Filium fateri. Unde multo sæpius in Evan-
gelio filium se hominis, quam Filium Dei appellare consuevit.
Et gloria fidelium ejusdiscipulorum, est diligenter ejus investi-
gare sermonem, quo se Deum etiam ubi patenter non dicit,
mysticè significat: quale est illud: Ego & Pater unum sumus:
& cætera hujusmodi. Denique calans verbi æternitatem, &
præterdens carnis infirmitatem, ait: Quem dicunt homines esse
filium hominis? Cui rei eximius investigator ejus sermonis,
quem antea sæpius audierat, respondit: Tu es Christus Filius
Dei vivi. Nec parvam hac investigatione meruit gloriam: nam
protinus audivit: Beatus es Simon Barjona, & cætera.

*Cælum sursum, & terra deorsum, & cor regum inscruta-
bile.* Sicut altitudo cæli, & profunditas terræ conjici ab
hominibus non potest, ita scientia Prophetarum & Apo-
stolorum, qui arcana divinitatis Spiritu sancto revelan-
te cognoverunt, nostre fragilitatis capacitatem transcendit.

*Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissi-
mum.* Aufer literæ superficiem de sacro eloquio, & invenies
sensum purissimum sub vilitate literæ reconditum: & sub
carnalium figuris ceremoniarum, spiritualia latuisse mysteria.

*Aufer impietatem de vultu regis: & firmabitur justitia
thronus ejus.* Aufer impietatem persequendi Christianos de
animo Sauli, vel alterius cujuslibet æmulatorum legis, &
cum Christum prædicare cœperint, firmabitur justitia Cæthe-
dræ doctrinæ eorum, quam prius ad ruinam suam impellebat
impietas, quamdiu justitiæ Dei repugnantes, suam præpo-
nere certabant. Iterum: Aufer impietatem de vultu regis,
& firmabitur justitia thronus ejus. Qui enim præsumunt populi:
si volunt firmum esse solium suum, semper hilaritate & gra-
tia plenos vultus exhibeant, ne per arrogantiam rigidiores ef-
fecti, in multationem incidant plebis.

*Ne gloriosus appareas coram rege, & in loco magnorum
ne steteris.* Melius est enim ut dicatur tibi: ascende huc,
quam ut humiliaris coram principe. Superius præulem mo-
nuit, nunc subditum: nam sicut illi dixit, ut hilares vultus
ostendat subiectis: ita hunc admonet, ne in conspectu ma-
jorum arrogans appareat, sed potius in mediocri loco su-

perius evocari mereatur: cui simile est illud dominicum:
Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo
loco, & cætera. Possumus autem in rege & principe, Domi-
num significatum intelligere: in cujus conspectu nos semper
humiliari necesse est, momente Apostolo Petro qui ait: Humi-
liamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempo-
re visitationis.

*Qua viderunt oculi tui, ne proferas in iurgio citò: ne pos-
tea emendare non possis, cum deonestaveris amicum tuum.*
*Causam tuam tracta cum amico tuo, & secretum extraneo
ne reveles: ne forte insulset tibi cum audierit, & exprobrare
non cesset: Gratia & amicitia liberant: quas tibi serua, ne
exprobabilis fias.* Et in Evangelio Dominus ait: Si pecca-
verit in te frater tuus, vade & corripue eum inter te & ipsum
solum, & cætera.

*Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempo-
re suo.* Sacra eloquia rectissimè lectis comparantur argenteis:
lectis videlicet, quia requiem præstant animabus audientium:
argenteis autem, quia splendida fulgent virtutibus patrum.
Unde scriptum est: Eloquia Domini, eloquia casta: argenteum
igne examinatum. Quorum ornatui lectorum, mala super-
addit aurea, quisquis eadem divina eloquia, & spiritualibus
plena sensibus & mysteriis exponendo demonstrat. Qui ni-
mirum sensus aptè mala vocantur, quia de arbore vitæ, id est,
Dei sapientia sunt orti. Aptè aurea mala: quia notitiam amo-
remque perpetuæ claritatis mentibus infundunt. Mala ergo
aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo:
quia qui verbum Dei opportunè novit juxta audientium ca-
pacitatem prædicare: modo exempla ac dicta patrum, per
quorum custodiam ad requiem perveniatur æternam, juxta
literam replicat: modo suaviores in his sensuum spiritualium
fructus, quibus pia audientium desideria pascat, remoto li-
teræ velamine pandit.

*Inauris aurea, & margaritum fulgens: qui arguit sapien-
tem, & aurem obedientem.* Rectè humilis auditor inauri com-
paratur aureæ: quia dum libenter increpanti ac docenti
aurem accommodat, jam sese ad recipiendum claritatem sa-
pientiæ cælestis præparat: jam supernæ lucis visioni appropriat.
Rectè magister eruditus, margaritum fulgenti assimilatur, quia
dum emendationem morum, dum supernorum scientiam de-
siderantibus ac piè querentibus animis ostendit: quasi aureo
ornatu majorem insuper gratioreque fulgorem gemmæ ar-
dentis annectit.

*Sicut frigus nivis in die messis: ita legatus fidelis ei qui
misit eum, animam illius requiescere facit.* Importunum vi-
detur omnimodis tempore messis ningere. Nam & infra le-
gimus: Quomodo nix in æstate, & pluvia in messe, sic inde-
cens est stulto gloria. Sed tamen in ferventissimis Palestinæ
regionibus non parum delectabile est merentibus, si subito
frigus quomodo in nive solet, adveniat: quod incendia solis
aliquantum refrigeret, sudorem laborantium tergat, arden-
tes temperet anhelitus. Cui rectè frigori legatus assimilatur
fidelis: qui mentem ejus qui se misit, prudenter agendo re-
pascit. Mysticè autem, legatus fidelis, doctor est Catholi-
cus: qui autem misit eum, Dominus. Porrò dies messis in
æstu, tempus est prædicationis inter furores persequentium.
De quo dictum est: Messis quidem multa, operarii autem
pauci. Frigus nivis in messe, aliquantula est quies prædican-
tium à persecutione repugnantium. Rectè ergo dicitur: Sicut
frigus nivis in die messis: ita legatus fidelis ei qui misit eum,
animam illius requiescere facit: quia sicut optabile est prædi-
catoribus verbi, cum ab infidelium rabie fortè aliquid refri-
gerii accipiunt, nec facultas docendi negatur: ita ipsi qui ad
prædicandum eos misit Domino gratum esse constat: cum
susceptam ab eo legationem, etiam inter adversa obstisten-
tium fideliter complent. Denique ut Lucas refert: Reversus
à prædicationis officio discipulis, exultans Spiritu sancto, Pa-
tri gratias obtulit dicens: Confiteor tibi Domine Pater cæli &
terræ, &c.

*Nubes & ventus, & pluvia non sequentes, vir gloria-
sus & promissa non complens.* Huic simile videtur quod supe-
rius ait: Ne lactes quemquam labiis tuis. Sed ille versiculus
specialiter hoc continet, ne promittendo hominem suscipias:
& non complendo decipias. Ille verò versiculus & hoc conti-
nere potest, & illud quod dicit Apostolus: Habentes speciem
pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.

*Patientia lenietur princeps: & lingua mollis confringet
duritiam.* Quamvis Dominum peccando offendisti, potes ta-

men ejus mereri clementiam, si patienter adversa quæ tibi pro-
peccatis irrogantur pertuleris, humilique satisfactione duri-
tiam domaveris contumacia prioris.

*Mel invenisti, comede quod sufficit tibi, ne forte satiatas
evomas illud.* Dulcedinem invenisti cælestis intellectus: quæ
spiritualium patrum officio, quali prudentissimum apium ti-
bi labore ministratur: vide ergo ne in ea plus sapere appetas,
quam oportet sapere: ne dum summa intelligere ultra vires
queris: etiam quæ bene intellexeras, amittas. Potest autem
in hoc versiculo typicè dictum intelligi, quod in sequenti aper-
tè subjicitur.

*Subtrahere pedem tuum de domo proximi tui, ne quando sa-
tietas oderit te. Faculum & gladius, & sagitta acuta, homo
qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium.* Et
si etiam proximi cujuslibet allocutionem vel visitationem mel-
le dulciorem invenisti: melius tamen est ut rarius veniendo
facias cum semper tuum diligere adventum: quam ut vel
una vice tamdiu cum illo maneat, vel toties ad eum venias,
donec per te fastidium saltem, & ne redeas quærat.

*Dens putridus, & pes lassus, qui sperat super infideli in die
angustia, & amittit pallium in die frigoris.* Et Jeremias ait:
Maledictus qui spem suam ponit in homine, & ponit carnem
brachium suum. Qui rectè denti putrido & pedi lassio com-
paratur, qui illud unicuique hominis bonum, hoc est, adherere
Deo, & ponere in Deo spem suam nescit, ille nec vitæ perici-
perere cibum, nec ad mansionem potest desideratæ salutis per-
tingere. Et talis amittit pallium in die frigoris, quia & si in
serenitate vitæ præsentis, habitu religionis videtur indutus,
ubi tamen districtio iusti iudicii ingruerit, nudus omni-
modis ab ornatu justitiæ patebit, nec eorum confortio
dignus de quibus scriptum est: Beatus qui vigilat & custo-
dit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitu-
dinem ejus.

*Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi pessimo. Sicut
rinea vestimento & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi.*
Nitrum à Nitria provincia, ubi maxime nasci solet, nomen
accepit. Nec multum à salis ammoniaci specie distat: nam
sicut saltem in litore maris feror conficitur solis durando in
petram aquas marinas, quas major vis ventorum, vel ipsius
maris fervor in littoris ulteriora projecit: ita in Nitria ubi
æstatæ pluvia prolixiores tellurem infundunt, adest ardor si-
deris tantus, quod ipsas aquas pluviales per latitudinem are-
natum concoquat in petram, salis quidem vel glaciæ as-
pectui simillimam, sed nil gelidi rigoris, nil salis saporis
habentem: quæ tamen juxta naturam salis, in caumate du-
rare, & in nubilo aère fluere ac liquefieri solet: Hanc in-
digene sumentes servant, & ubi opus extiterit, pro lomento
utuntur. Unde Judææ peccanti dicit Propheta: Si laveris te
nitro, & multiplicaveris tibi herbam borith: maculata es
iniquitate tua, dicit Dominus Deus. Crepitat autem in aqua
quomodo calx viva: & ipsum quidem disperit, sed aquam
lavationis habilem reddit: cujus natura cui sit apta figuræ,
cernens Salomon ait: Acetum in nitro, & qui cantat car-
mina cordi pessimo. Acetum quippe si mittatur in nitrum,
protinus ebullit: & perversa mens, quando per increpa-
tionem corripitur, aut per prædicationis dulcedinem bona
suadentur, de correptione fit deterior, & inde in murmura-
tionis iniquitatem succenditur, unde debuit ab iniquitate
compesci.

*Si esurieris inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei
aquam bibere.* Et de corporalibus alimentis, & de spirituali-
bus potest intelligi.

*Prunas enim congregabis super caput ejus, & Dominus
reddet tibi.* Non de incendiis penarum dicit: neque enim
doceret sapientia, ut bona faciendò inimico, perditionis
ejus causam ministrares: sed per prunas super caput ejus, ar-
dorem charitatis in corde ejus significat. Fit enim nonnun-
quam, ut inimicus crebris victus beneficiis, odiorum rigore
emollito, calorem in mentem charitatis excipiat: ac de ini-
mico amicus fieri, & eum quem injustè oderit, redamare
incipiat.

*Venus Aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam
detrahentem.* Si hilari vultu audieris detrahentem, tu illi das
fomitum detrahendi: si verò tristi vultu hæc audias, ut dixit
quidam vir Dei: Dicit non libenter dicere, quod dixerit non
libenter audiri.

*Melius est sedere in angulo domatis, quam cum muliere
litigiosa & in domo communi.* Domus, excelsus & secretus est
Tom. V.

locus: quod enim *domus* Græcè, Latine dicitur tectum. De-
nique in Actibus Apostolorum, ubi Petrus in superiora ad-
orandum ascendit: pro superioribus, in Græco *domus* scriptum
est. Melius est ergo in altitudine virtutum manere quempiam
liberum à vinculis uxoris, & à sæculi hujus secretum desi-
deriis, quam cum carnali usu voluptatis quotidianis nefariæ
mulieris contumeliis affici.

*Aqua frigida anime sitienti, & nuntius bonus de ter-
ra longinqua.* Dicit Psalmista: Sicut cervus desiderat ad
fontes aquarum, ita desiderat anima mea, ad te Deus.
Aqua ergo frigida quæ sitienti ardorem restringit: &
nuntius qui de longe veniens, nova quælibet & ino-
pinata gaudia portat, assimilantur: quia & dulcedo di-
vina visionis animam diu desiderantem consolatur, atque
ab æstu præsentium tribulationum liberam reddit. Et angeli
quotidie de terra longinqua, hoc est, à superna patria des-
cendentes in mundum, justos vel inter tentationes spe cæ-
lestium roborant, vel finitis tentationum certaminibus, ad
palmam perperatæ retributionis inducunt.

*Fons turbatus pede, & vena corrupta, justus cadens
coram impio.* Fons & vena vitæ, est os & lingua iusti qui
meditatur sapientiam, & loquitur iudicium. Et si hunc dia-
bolo superari atque incassum redigi contigerit: meritis sors
turbatus, adversario conculecitate, & vena dicitur esse cor-
rupta. Evenit enim sæpe ut qui majori scientia præditi fulge-
bant, ad ultimum plus volentes sapere, quam fragilitati hu-
manæ concessum est, in insipientiæ foveam decidunt. Unde
consequenter adjungitur:

*Sicut qui mel comedit multum, non est ei bonum: sic
qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloria.* Dulcedo
enim mellis, si plusquam necesse est, sumitur: unde dele-
tatur os, inde vita necatur. Dulcis quoque est requisitio ma-
jestatis: sed qui plus hanc scrutari appetit, quam humanita-
tis agnitio permittit, hunc ipsa ejus gloria premit: quia ve-
lut mel sumptum immoderatè, percutantis sensum dum
non capit rumpit. Non hoc autem solum quilibet sa-
piens attendere debet, ne altiora se querat, & ne fra-
gilitate se scrutatus sit: verum etiam ne ea quæ rectè atque uti-
liter scire potuit, immoderatis sermonibus sibi minus utilia
reddat. Unde adhuc aptè subnectitur:

*Sicut urbs patens, & absque murorum ambitu, ita vir
qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.* Si enim
murum silentii non habet, patet inimici jaculis civitas men-
tis, & cum se per verba extra semetipsam jacit, apertam se
adversario ostendit, quam tanto ille sine labore superat, quan-
to & ipsa quæ vincitur contra semetipsam per multiloquium
pugnat.

Caput XXVI.

Quomodo nix in æstate, & pluvia in messe, sic indecens
est stulto gloria. Hic versiculus, ne indoctis honor do-
cendi committatur, præmonet. Nix namque æstate, & plu-
via in messe, sunt persecutiones infidelium in tempore præ-
dicationis Evangelicæ: quæ dum graviores fortè insistant,
& calorem in multis impediunt dilectionis, & fruges bonæ
operationis fruant. Quibus rectè gloria quæ stulto con-
fertur esse similis asseveratur: quia si indocto Cathedra
docendi tribuitur, atque similiter per hoc Ecclesia ut infidelium
persecutione læditur, quod esse verissimum Ariana tempestatis
calamitas probavit.

*Nam sicut avis ad alta transvolans, & passer quo libet
vadens, sic maledictum frustra prolatum in quempiam super-
veniet.* Verba quidem rectè avibus comparantur, quod so-
nando per aëra transvolent, ab ore videlicet loquentis, ad
aures usque audientis. Sed distant in eo, quia potest fieri,
ut avis quo libet volans, eo loco resedeat, ubi nil ei certæ
necessitatis aut utilitatis suppetat: Verba autem quæ loquimur,
non quo libet dispersa in ventum defluunt atque evanescent,
sed in autorem suum cuncta revertuntur, & vel bene prola-
ta juvant loquentem, vel male edita gravant. Itaque si pro
omni verbo etiam otioso rationem in die iudicii reddere cogamur:
quanto magis autem maledicta, non solum ea quæ
maliciose mente in insontem jaculantur, verum etiam illa quæ
negligentiam consuetudine passim in quolibet proferuntur,
non alium sed ipsum maledicum opprimunt? Neque enim
maledici regnum Dei possidebunt. Non autem sine causa dicit
maledictum frustra prolatum. Est enim maledictum juxta
O o ij